

neas, Lotiones, Species, Tragemata, Electuaria, Opiatas, Condita, Conferuas, Eclegmata, Linimenta, Vnguenta, Emplastra, Cataplasmata, Cerata, Dropaces, Sinapismos, Tabulas, Pilulas, Collyria, Apophlegmatismos, Glâdes, Sacculos, Pessos, Odoramenta. His omnibus, inquam, componendi formis generatim vtuntur: sed distinguuntur varietate componendorum: quemadmodum nec ipsi Medici hac parte inter se perpetuò consentiunt.

Hic primus est vel internus Chymix finis, remedium simplex, vel compositum. Externus est eiusdè Vsus, ad morbi curationem adhibitus. Huius respectu Chymista, nomine officioque deposito Medici personam assumit: iisdè limitibus includens sese, quos ab antiquitate, præstantissimi quique viri, legitimæ curationis modo & ordini cõstituere. De quibus hoc loco pluribus non agemus, ne instituti nostri positos initio terminos proferamus: quandoquidem præparandorum duntaxat remedium Chymicam nouitatem, cum recepta hætenus antiquorum consue-

*Externus
Chymix fi-
nis.*

O 3 tуди-